

# Litterae Decretales

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **10 (1932)**

PDF erstellt am: **18.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762501>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

# LITTERAE DECRETALES

SANCTI ALBERTI MAGNI O. P. CONFESSORIS PONTIFICIS CULTUS  
UNIVERSAE PRAECIPITUR ECCLESIAE, ADDITO DOCTORIS TITULO

## PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

*In thesauris sapientiae intellectus et scientiae religiositas*<sup>1</sup> habentur. Qua re et Salomon illuminatis verbis profundissimam exhibet rationem, qua a Deo ipse sapientiae possessionem petierit<sup>2</sup>, quia nempe sapientia ipsa intime animum cum Deo coniungit, bonaque universa superat iisque antecellit. Ampliore adhuc prorsus et clariore modo ex hac unione vitae perfectioris simulque sapientiae studii corda fidelium sursum eriguntur, utpote qui *instructi in caritate et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.*<sup>3</sup>

Ideo, quo quis magis per sapientiam ad Deum graditur, eo altius spiritus dominium evehit in se; sapientia *doctrinx enim est disciplinae Dei, et electrix operum illius.*<sup>4</sup> Divinae autem Sapientiae exemplari homo eo propius accedit quo magis et vivendi et agendi Salvatoris exemplum imitatur, enunciantis: *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*<sup>5</sup>

Haec quidem Domini Nostri Iesu Christi vestigia persequens, praeclarissima gloria effulsit, Albertus ille, Ordinis Praedicatorum alumnus, in theologia magister, episcopus quondam Ratisbonensis, qui, vitae contemplativae atque activae rationes miro modo consocians, aetatis suae hominibus posterisque vere magnus apparuit, sicut quoque ob doctrinae eminentiam ac multiplicem rerum omnium peritiam Magni cognomento insignitus est.

<sup>1</sup> *Eccli.* I, 26.

<sup>2</sup> *Sap.* VIII, 2.

<sup>3</sup> *Coloss.* II, 2-3.

<sup>4</sup> *Sap.* VIII, 4.

<sup>5</sup> *Matth.* V, 19.

Is quidem, saeculo decimo secundo exeunte, Lauingae in Suevia, in Augustana dioecesi, ex familia militaribus rebus addicta, ortum habuit. E patriae solo perficiendorum studiorum causa discedens, in Italiam profectus est, ut Patavii in liberales disciplinas, medicinam ac scientias naturales sedulo incumberet. Ibi et nascentem Fratrum Praedicatorum Ordinem cognovit et adamavit, quem, avunculi sui devicta reluctantia, hortante Beato Iordano de Saxonia, eiusdem Ordinis Magistro Generali et fervidissimo Iesu Christi praecone, amplexus est, ac inter Sancti Dominici filios adscriptus. In omnibus Deo deditus atque tenera ergo Beatissimam Virginem devotione emicans, Albertus mox Coloniam Agrippinam ad explenda theologica studia missus est. Quo tempore animi puritati ingenioque excolendo, de virtute in virtutem proficiens, quasi *gigas ad currendam viam*<sup>1</sup> impense vacabat. Oratione studium mature praeveniando, intellectum totamque vitae consuetudinem ita disposuit, ut ad praedicationem atque animarum salutem apostolicae Fratrum Praedicatorum religionis membrum idoneum fieret. Igitur ad fores sapientiae excubans, ita inter aequales excelluit, ut omnium saecularium scientiarum vertices facillime apprehenderet et *de divinae legis fonte adeo salutiferae fluentae doctrinae potaret, quod eiusdem in suo pectore vigeret plenitudo*, prout Praedecessor Noster Alexander IV de eo asserere non dubitavit.<sup>2</sup>

Sacerdotio auctus, ut contemplationis et scientiarum lumina ac thesauros aliis traderet, Albertus lector Hildeshemii, Friburgi, Ratisbonae, Argentorati primum constitutus est. Incredibilem mox ubique terrarum existimationem sibi comparavit, cum in inclita Parisiensi Universitate sacrae facultatis cathedram summo plausu teneret et theologiae magisterio ornaretur. Deinde iuvenum ingenia instituere Albertus Coloniae prosecutus est, ubi superiorum iussu Studium Generale sui Ordinis condidit et est moderatus.

Tunc temporis inter plurimos alios celebres celeberrimum habuit discipulum Thomam Aquinatem, cuius praeclarissimum ingenium ipse primus perspexit ac praedicavit, eidemque per totam vitam amicissime in sanctitatis studiorumque aemulatione iunctus perstitit; ipsiusque, iam e vivis erepti, doctrinae puritatem strenue defendit, ac mentis altitudinem merito celebravit.

Cum insuper prudentiae atque iustitiae virtutibus Albertus apud omnes inclaruerit, mirum non est, quod saepe saepius ipse arbiter in

<sup>1</sup> *Psal.* XVIII, 6.

<sup>2</sup> In *Bulla* electionis Alberti Magni ad Episcopatum Ratisbonensem.

publicis privatisque quaestionibus ac contentionibus delectus fuerit, quas rectissimo semper aequitatis sensu eximiaque dexteritate et fortitudine composuit. Eius autem mirabilis in rebus gerendis alacritas, religiosae observantiae cultui atque christianae perfectionis amori coniuncta, causa fuit, cur Fratres Praedicatorum Germaniae in capitulo provinciali, in urbe Wormatiensi congregati, in eum spem collocantes, Albertum priorem provinciam votis suis designarent.

Optime noverant Patres capitulares saeculi vanitatem, ob rerum temporumque adiuncta, vel apud claustrales viros sensim aliquando irrepsisse, ita ut ad eos in perfecta vita servandos regimine opus esset viri corde sancti, firma voluntate, prudenti consilio, omnigena virtute praediti. Spes eos non fefellit. Albertus namque indefessam et uberrimam dedit operam, ut officio prioris Teutoniae provinciae, quae ab oris Flandriae per Germaniam ad Poloniam usque et Hungariam latissime patebat, studiosissime fungeretur: et non modo coenobia saepe perlustrare, verum et comitia celebrare solebat, ut exemplo quidem suo et voce ad virtutis et regularis observantiae viam sequendam suis subditis stimulos subiiceret, sublime imitatus Divini Magistri exemplum, qui *coepit facere et docere*.<sup>1</sup>

Beatissimi viri Alberti in rebus gerendis prudentia eiusque in civilibus negotiis peritia et doctrinae ac sanctitatis fama ad ipsos Romanos Pontifices pervenerunt, qui gravia atque praestantia officia eidem committere non dubitarunt.

Illud speciali mentione dignum, quod ab Alexandro IV Papa ipsi Alberto, provinciali priori, demandatum est, ut una cum confratribus viriliter in catholicae religionis defensionem ac propagationem inter Livoniae ac Borussiae paganos auxilium praestaret. Et alia quidem munia idem Alexander in regione Brandenburgensi ipsi concredidit.

Cum autem is ab Ordine suo deputatus, religiosorum mendicantium causam simulque Apostolicae Sedis iura vindicare deberet, ad Curiam Pontificiam, tunc Anagninae commorantem, profectus est, ubi in consistorio adversariorum impetum retudit atque tam fulgenti doctrina animos commovit, ut non solum, Pontificis praecepto obsecundans, publica disputatione Averroistarum errores profligaverit, sed etiam in Curiae Pontificiae schola evangelium secundum Ioannem lucidissime explanaverit.

Memoriam etiam mirae suae eruditionis et fulgidissimae virtutis tantam Albertus in Curia ipsa Romana reliquit, ut idem Summus

<sup>1</sup> *Act. Apost.* I, 1.

Pontifex Alexander IV, cum Ecclesiae Ratisbonensi, in spiritualibus et temporalibus tunc multipliciter deformatae, pastor novus praeponendus esset, Albertum Magnum selegerit, qui commissum sibi gregem doctrina et exemplo pasceret et regeret et episcopalem sedem aere alieno gravatam sublevaret. In episcopali dignitate consistens, Albertus paupertatem eo libentius servavit, quo eam ad disciplinam ecclesiasticam restaurandam moresque reformandos efficacissimam agnosceret. Inexhausto studii amore et contemplationis prorsus retento, sanctus praesul vel in vitiis extirpandis indefessus, in collapsis moribus erigendis sedulus, in componendis dissensionibus discretus, in administrandis Sacramentis diligentissimus, a scriptione sacra non destitit, ita ut pari tempore doctrinam promoveret, simulque credito sibi gregi prospiceret.

Episcopatus Ratisbonensis abdicatione, quam ab Urbano PP. IV efflagitaverat, obtenta, ad ipsius Summi Pontificis nutum, suam navavit operam moxque Apostolicae Sedis auctoritate Crucis praedicator per Alemanniam et Bohemiam pro subsidii Terrae Sanctae corrogandis renuntiatus fuit. Quo munere apprime perfunctus, ad regularem sui Ordinis consuetudinem ultro rediit, ac reliquos vitae annos praedicando, docendo, scribendo transegit, ac per dioeceses quamplurimas ubicumque rogatus pontificales ritus aliaque episcopalia munia explevit, ita ut, difficillimis susceptis itineribus, in varias regiones abiret, ad diversas quoque civitates, idest Neomagensem, Antverpiensem, Basileensem aliasque religionis ac pietatis causa accederet, et postquam Argentorati et Herbipoli commoratus fuit, Coloniam Agrippinam rediit, ubi postrema sibi quies erat obventura.

Speciali affectu impulsus erga utriusque sexus religiosos, impensam pro eis curam gessit eorumque conventus ac monasteria de episcoporum mandato saepius cum magno disciplinae religiosae emolumento visitavit, sanctitatis ardorem ac contemplationis lumen ubique incendens. Devota insuper pietatis et religionis provehendae officia ad omnes Christifideles profuse extendebat, nulli consilium vel auxilium denegans. Neque praetereundum ipsum Albertum cum Sancto Ludovico Francorum Rege concordii pietate coniunctum vixisse.

Licet Albertus plerumque reverentiae causa Dominus appellaretur, tamen patrem potius se praebuit, omnium in se filialem fiduciam convertens, iuxta Pauli apostoli exemplum, qui *libentissime se impendebat et superimpendebatur* pro proximorum suorum animabus.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> II *Corinth.* XII, 15.

Quamquam iam senio confectus, ad secundum Lugdunense Concilium accessit, in quo Graeci, emissa fidei professione, doctorum expositionibus praemissis, divina gratia ad unionem Ecclesiae feliciter redierunt. Eius etiam Concilii occasione Praedecessor Noster Beatus Gregorius PP. X, Alberto intercedente, Rodulphi de Habsburgo, Romanorum Regis, electionem probavit. Qua re Albertum utrique ordini societatis tum ecclesiasticae tum civilis denuo consuluisse procul dubio affirmari potest.

Verum immensa utique haec negotiorum quae inspeximus moles parvi facienda veluti videtur, si cum ingentibus studiorum laboribus institutis ac voluminibus ab eodem doctissime conscriptis conferatur, in quibus eius ingenii acumen et vis eximia, mentis amplitudo atque altitudo, dives eruditionis copia, ornandae ac defendendae fidei indefessus ardor eminenter elucent.

Quapropter historiographi et eius vitae scriptores iure meritoque eum propter singularem intellectus universalitatem extollunt, qui non solum divinas res contemplatus est vel philosophicas veritates, sed etiam omnes alias scientias humanas attigit atque illustravit, quae hodie naturales vocantur. Imprimis iam Bartholomaeus Lucensis, coaevus, episcopus Torcellanus, affirmavit Albertum, quod ad scientias universas excolendas et docendi methodum attinet, inter doctores maxime excelluisse. Re quidem vera Alberti Magni operum pene innumerorum titulos iam inspicienti subito evidenter apparet nullam particularem scientiam effugere ingenium eius, cum de astronomia, cosmographia, metereologia, climatologia, physica, mechanica, architectura, chimia, mineralogia, anthropologia, zoologia et botanica luculentissime disseruerit. Quibus insuper scriptis varia de practicis artibus opera utpote de texendi, navigandi peritia, sicut etiam de agricultura hisque similibus, sunt adiungenda.

Constanti autem mentis intentione Magnus Albertus, sicut verus doctor catholicus, non sistit in huius mundi adspectabilis contemplatione, prout modernis rerum naturalium investigatoribus quam frequenter accidit, sed ad spiritualia et supernaturalia ascendit, omnium scientiarum concordem iuxta tamen subiecta varie sibi subordinata, coordinationem statuens, ab inanimatis ad viventia, a viventibus ad spirituales creaturas, a spiritibus ad Deum mire progrediens.

Et re vera Deus ipse, omnium bonorum munificentissimus Dator, Albertum indole atque necessariis auxiliis ad tantum opus perficiendum ditaverat. Ipsi enim inerat veritatis insatiata cupiditas, indefessa ad

res naturales attentio earumque investigatio, imaginatio fervida simul cum firma memoria, erga sapientiae antiquae monumenta amor, et praecipue religiosa mens, qua admiranda Dei sapientia, in ipsis creaturis relucens, clare percipitur. Unde sacer Psalter ad Dei laudem omnia mundi elementa invitabat, et in *Iob* sicut et in libro *Sapientiae* atque in *Ecclesiastico* ad munificentissimum talium bonorum Largitorem benedicendum et exaltandum Spiritus Sanctus homines impellit.

Hoc autem potissimum est mentione dignum, quod veteris quemque sapientiae florem laboriosissimo studio ipse collegit, et quidquid veritatis humana ratio innata vi acute investigaverat, expurgatis quidem erroribus, subtiliter meditatus est, atque ad fidei veritatem illustrandam eamque a variis impugnationibus tuendam saepe feliciter adhibuit. Quod praecipue subsidium ex Aristotelis operibus, quae tunc temporis latius evulgari in Europa coeperunt, aptissime deprompsit. Falsis namque Aristotelismi interpretationibus reiectis, impendens catholicae doctrinae periculum non solum ipse propulsavit, sed veteris philosophiae telum ex hostium manibus veluti ereptum ad revelatae veritatis defensionem valide retorsit. Eo igitur praeprimis auspice, *Scholastica*, sanioris Aristotelismi genuinis thesauris sibi additis, expeditiorem viam inivit, ut miram quae adest rectae rationis cum fide cohaesionem maiori luce illustraret. Alberto praeunte, Thomas deinde Aquinas, dilectus eius discipulus, perennis philosophiae culmina atque altissimos sacrae Theologiae vertices felici ausu conscendit.

Itaque eius labore et opera philosophia tota, sed praecipue Aristotelica, Theologiae christianae validum quidem et aptissimum instrumentum sub revelationis supernaturalis lumine evasit.

Hoc enim supremum et constans fuit totius vitae intellectualis Alberti propositum; quare quidquid veri, quidquid pulchri, quidquid sublimis, in ethnicorum sapientia invenitur, discere et ipsi Creatori, qui est Prima Veritas, Summa Pulchritudo et essentialis Perfectio, offerre et fere consecrare voluit. Sicque Albertus vincula disruptit, quibus naturalis scientia in gentilium, mahumetanorum ac iudaeorum potestate tenebatur, vel a quibusdam tunc temporis piis hominibus, ob abusus qui irrepserant, cum diffidentia quadam respiciebatur, quasi magnum pro fidelibus periculum in seipsa occultaret. Verus Theologus nullum ipse damnum in naturae vel naturalis rationis operibus recte investigatis pertimuit, cum eadem Ipsius Creatoris lumen in se ferant.

Ita inter medii aevi Doctores, praecipue Albertus sui temporis scholis scientificae antiquorum culturae divitias, modo vere organico,

in sua magna encyclopaedia, quae ab infimis notionibus usque ad Sacram Theologiam extenditur, egregie transmisit. Nil mirum igitur, si apud antiquos in confesso sit, Albertum Magnum *totum scibile scivisse, nullum doctrinae genus ignorasse*<sup>1</sup> ac *sui temporis stuporem et miraculum congrue dici posse.*<sup>2</sup> Nil mirum etiam eundem apud antiquos *Doctoris universalis* titulum et *philosophorum omnium totius christianitatis solis praeclarissimi*<sup>3</sup> famam fuisse adeptum.

His autem encomiis viri docti, etiam acatholici, nostrae aetatis suffragari non dubitant, dum in eo maximum totius aevi naturalium rerum investigatorem extollunt. Ex quibus opportune quidam scriptor eximius Albertum vocat *studii naturalis in Occidente antesignanum perspicacissimum, qui primus religioni christianae adsimilavit atque iniunxit sublimes illos Graecae sapientiae fontes, qui primus naturalem historiam doctrinae ecclesiasticae parem posuit, qui primus res naturales germanicas ex arte descripsit, qui primus rerum creaturarum formas ad rationes morphologicas revocare conatus est, denique qui primus atque unus historiam totius naturae per omnes explicuit partes.*<sup>4</sup>

Praeterea hunc sibi vindicavit honorem, quod neque in Philosophia nec in Theologia nec in Scripturarum interpretatione fere ullus alius doctor, excepto Sancto Thoma, exstitit, qui tantam auctoritatem sibi comparaverit. Nimis utique longum est Alberti Magni pro theologicae scientiae incremento merita ostendere et enucleare.

Ut enim Theologiae operam navaret, animus ipse suus eundem impellebat. Auctoritatem, quam in re philosophica sibi comparaverat, mirum in modum amplificavit, cum, ut diximus, philosophia, ad Theologiam scholastico systemate recte explanandam, velut instrumento usus est. Quapropter et ipse huius quoque Theologiae methodi prae primis auctor dicitur, quae in Christi Ecclesia ad nostram usque aetatem clericis regula ac norma tutissima permansit.

Beati Alberti theologica opera amplissima sicut et perspicua eius in Sacra Scriptura commentaria nedum lucidissimam mentem ac profundam de catholica doctrina cognitionem, verum etiam tam suavem pietatem animasque Christo adiungendi vehemens desiderium produunt,

<sup>1</sup> Pius II, in sua *Epistola Dogmatica* ad Turcarum Imperatorem, data a. D. 1464.

<sup>2</sup> *Ulricus de Argentina*, in *Summa de bono*, lib. 4, tract. 3, c. 9.

<sup>3</sup> *Henricus de Hervordia*, in suo *Chronicon*, Ed. Potthast, 1859, pag. 196.

<sup>4</sup> *Carolus Jessen*, in sua *Introductione* ad Alberti Magni *De Vegetabilibus*, libros VII, Ed. Berolini, 1867, pag. v.



ita ut procul dubio Sanctum de rebus sanctis disserentem in istis operibus summopere dignoscamus.

Hic recolere praestat eius *Summam Theologicam*, quae pietatem ac sapientiam pariter redolet ; *Commentarium in Evangelium Sancti Lucae*, quod eum sacrae paginae peritum interpretem ac securum demonstrat ; dulces suavesque *Tractatus de laudibus Beatae Virginis*, in quibus eius amor affectusque ardentis erga Dei Matrem panduntur ; scripta illa incomparabilia de *Sacrosancto Altaris Sacramento*, in quibus ipse sinceram suam fidem in Deum et fervidam devotionem in Divinae Incarnationis mysterio colendo luculenter ostendit. *Mysticae* denique *elucubrationes* commemorandae sunt, ex quibus eum per Spiritus Sancti gratiam ad infusae contemplationis altitudinem elevatum comperimus, et ex quibus saeculo decimo quarto in Germania mystice vivendi normam principium et originem duxisse conspiciamus.

Omnia denique opera ista Alberti auctoritatis in theologica scientia monumenta sunt nunquam interitura. Quinimo et cum Praedecessore Nostro f. r. Leone XIII de tota Alberti Magni doctrina iure affirmare possumus : *Quamquam post Alberti aetatem incrementa cuivis scientiarum generi complura attulit dies, eius tamen vis et copia doctrinae, quae Thomam aluit Aquinatem et aequalibus eorum temporum miraculo fuit, non potest vetustate ulla consenescere.*<sup>1</sup>

Quae hucusque diximus sufficiant ad magnitudinem aliquatenus adumbrandam tum eximiae sanctitatis vitae, tum mirabilis Alberti doctrinae, qui, post tot ac tantos labores in vinea Domini exantlatos, de Ecclesia catholica omni ex parte optime meritis, die decimaquinta mensis Novembris anno millesimo ducentesimo octogesimo hanc peregrinationem placidissime deseruit, ut beata aeternitate frueretur.

At post tanti luminis occasum, nunquam tamen eiusdem splendidus fulgor defecit. Albertus Magnus revera in Christi Ecclesia adhuc illucescit scientiae suae eminentia ; illucescit vitae sanctitate virtutibus omnibus adornata ; illucescit et prodigiorum fama quae in vita et post mortem ab ipso patrata fide digni scriptores omni quidem tempore asserunt, ita ut et Nos cum Sancto Petro Canisio, Ecclesiae Doctore, qui illum *Germaniae lumen* appellat, hoc de Alberto Magno affirmare possimus : *vitae munditia, sapientia et sublimibus scientiis excellens fuit. ... Honorem eius et sanctitatem Dominus Deus plurimis miraculis ostendit.*<sup>2</sup>

<sup>1</sup> *Breve*, datum die 10 Decembris 1889, ad Ludovicum Vivès, Operum B. Alberti Magni Editorem.

<sup>2</sup> In *Martyrologio Germanico* sub die 15 Novembris.

Nemini igitur mirum videatur, quod Beato Alberto, post eius mortem ecclesiasticus ac publicus cultus tributus est, cuius manifestationes et praerogativae tot sunt ac tanti momenti. Et in hoc laetamur, quod plures Praedecessores Nostri, *attentis Beati Viri in Ecclesiam praeclaris meritis*<sup>1</sup>, ad eius cultus extensionem pretiosos contulerint favores. Innocentius nempe VIII anno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto Fratribus Ordinis Praedicatorum Colonien-sibus ac Ratisbonensibus, ut in Beati Alberti honorem altaria erigerent ac festum liturgicum peragerent, benigne concessit; quae concessio beatificationi vere aequivalet. Gregorius XV autem privilegium hoc ad Cathedralis Ratisbonensis Capitulum et Clerum anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo vivae vocis oraculo tribuere dignatus est. Urbanus VIII Beati Alberti liturgicum festum civitati Lauingae anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo indulsit ac postea, anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, Romanorum Imperatore instante, ad totius Germaniae Fratres Praedicatores extendit. Alexander VII idem indultum Fratribus eiusdem Ordinis in ditioe Veneta degentibus anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto elargitus est; ac denique Clemens X, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo benigne annuit, ut in toto Praedicatorum Ordine Festum Beati Alberti Magni cum Officio et Missa solemniter ritu quotannis in perpetuum perageretur. Praeterea Pius IX toti Archidioecesi Coloniensi anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto sub ritu semiduplici huiusmodi festum, postea anno millesimo octingentesimo septuagesimo ad ritum duplicem elevatum, celebrari permisit. Tribus post annis idem Pontifex in Ecclesia S. Elisabeth, prope Curiam Riariam quondam exstante, in qua Catholicorum virorum Germanicae nationis societas in Urbe erat constituta, ut Missa de Beato Alberto Magno a sacerdotibus ibi celebrantibus legeretur, indulsit. Postremis hisce temporibus autem aliis Germaniae dioecesibus, uti Monacensi-Frisingensi, Friburgensi, Ratisbonensi, Augustanae, Herbipolensi et Rottemburgensi, et, in Gallia, Parisiensi Archidioecesi liturgicum B. Alberti festum indultum est. Nec oblivioni relinquendum est quod indulgentia plenaria in eiusdem festo hac illac, immo hac ipsa in Urbe, a Nostris Praedecessoribus gratiose concessa est; neque etiam praetereundum de quodam templo Rigae in Sancti Alberti honorem dedicato, sicuti etiam de plenaria

<sup>1</sup> *Clemens X*, in *Decreto* diei 27 Augusti 1670, quo festum B. Alberti Magni ad totum Praedicatorum Ordinem extendit.

indulgentia in perpetuum pro idem templum visitantibus ex benigna largitione à Leone XIII.

Quare nil mirum, quod ob tantam huius viri sanctitatis doctrinaeque praestantiam, de eius canonizatione ac etiam de Ecclesiae Doctoris titulo pro eo ab Apostolica Sede obtinendo iampridem cogitatum est. Praecipue vero post sacri ipsius corporis solemnem translationem, anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio peractam, et iterum ac ardentius sub saeculi XVII initio, saepe ad hoc impense adlaboratum est; quod tamen propter bellorum calamitates, et commercii epistolaris cum hac Romana Curia difficultatem, ad felicem exitum pervenire nequivit.

Piissimum itaque ac saeculare votum solvere cupientes Sacrorum Germaniae Antistites, Concilii Vaticani tempore, Beati Alberti Magni causam reassumendam instanter ab hac Apostolica Sede efflagitarunt; sed ob notas Ecclesiae procellas, sive in Italia, sive in Germania, exortas, expleri hae preces nullimode valuere.

Denuo, solemni modo, diebus nostris, S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelatique quam plurimi ex omnibus orbis partibus, simul ac Abbates et Religiosarum Sodalitatum Praesides, praecipue Studiorum Universitates ac Facultates, Seminaria et Collegia, Virorum Doctorum Societates, totius Germaniae Catholicae viri ac mulieres nobilitate, scientia ac in rei publicae administratione praestantes, instantissime supplices Nobis preces porrexerunt, ut Beatum Albertum Magnum Sanctorum aureola Doctorisque Ecclesiae titulo decoraremus.

Rem itaque, profecto votis quoque Nostris consentaneam, mature perpendendam duximus, eo vel magis, quod Alberti Magni glorificatio ad animas suavissimo Christi iugo aptius subiiciendas hodie praecipue opportuna videatur.

Albertus Magnus talis quidem est Sanctus, in cuius exemplum aetas nostra, pacem ardentem quaeritans et a scientiae inventis mira sibi repromittens, intentis oculis maximo cum emolumento intueri potest. Quamvis enim hodie populi omnes pacem vehementer exoptant, tamen de ratione et via ad eam consequendam aptioribus minime conveniunt: imo ipsa verae pacis fundamenta, iustitiam scilicet et caritatem, reapse praetermittunt.

Ad Sanctum igitur Albertum Magnum confidenter respiciant omnes. Ipse namque totis visceribus adhaesit gloriosissimo Deo, qui utique *non est dissensionis Deus, sed pacis*<sup>1</sup>, illius nempe pacis, quae,

<sup>1</sup> I *Corinth.* XIV, 33.

exsuperans omnem sensum, fidelium corda et intelligentias custodit.<sup>1</sup> Hic Albertus, qui in vita sua ad pacis foedera inter civitates et principes, populos singulosque homines ineunda felici exitu strenue adlaboravit, perfectum nobis veluti typum exhibet arbitri pacis, pro ea qua pollebat ad conciliandos animos auctoritate, ex eius doctrinae et sanctitatis fama profecta una cum tanta dignitate personae, sacro sacerdotii caractere nobilitata. Equidem ille in se vividam expressit Christi-Salvatoris imaginem, qui *Princeps Pacis* in Sacris Litteris salutatur.<sup>2</sup>

Scientia quoque quam maxime ad pacem stabiliendam conducit, si rectae vero rationi ac fidei supernaturali subiiciatur. Quae quidem subiectio ad ipsius scientiae nobilitatem, soliditatem ac veritatem omnimode firmandam necessaria videtur. At quam frequenter nostra praecipue aetate subiectio huiusmodi in investigationibus scientificis negligatur ac despiciatur, plane compertum est. Immo contra fidem rectamque rationem ipsa quidem adhibetur scientia; quae, *Deo scientiarum Domino*<sup>3</sup> derelicto, suis tantum viribus confidens, in illum numquam satis deplorandum materialismum procul dubio incidit, qui, neminem latet, profecto morum dissolutionis totque in re oeconomica malorum causa est, quibus fere totius orbis populi infeste pervertuntur acriterque cruciantur.

In Alberto Magno autem scientiae, humanae divinaeque radii mirabiliter conveniunt, ac circa ipsum lucentem aureolam efformant. Ipse suo praeclarissimo exemplo omnes admonet, inter scientiam et fidem, veritatem inter et bonum, inter doctrinam et sanctitatem, nullam exsistere oppositionem, intimam potius cohaesionem adesse. Ita etiam, sicuti Sanctus Hieronymus e deserto, ipse Albertus suis mirabilibus scriptis, tamquam potenti voce, fortiter conclamat atque uberrime demonstrat, scientiam veri nominis et fidem vitamque ex fide sancte actam concorditer in hominibus vigere posse, immo debere, cum fides supernaturalis complementum perfectionemque scientiae validissime communicet.

Neque enim, ut athei diebus vel nostris circumferunt, per christianam disciplinam et christianae perfectionis studium destruuntur vel franguntur hominis indoles aut robur voluntatis, civilis actuositas, humani ingenii nobilitas; sed e contra evincitur gratia naturam perficere, eamque evolvere, evehere ac mire nobilitare.

Quibus omnibus mature perpensis, quo Magnus hic Albertus iure meritoque Sancti appellatione honoribusque ab omnibus Christifidelibus

<sup>1</sup> *Phil.* IV, 7.

<sup>2</sup> *Isaias*, IX, 6.

<sup>3</sup> *I Reg.* II, 3.

magis magisque colatur, idemque, veluti lucerna super candelabrum posita, in universa Ecclesia clariore luce elucescat, ac ita illud supplere-mus quod ad eiusdem Alberti gloriam adhuc deesse videretur, desiderium quoque Nostrum in dies succrescens, per aequipollentem canonizationem, tandem explendum duximus.

Cum igitur ad tantum eventum tempora nostra satis matura videantur, cumque in hoc negotio omnes conditiones reperiantur ab antiquissimo Ecclesiae usu ac iure in similibus adiunctis requisitae, specialem normam viamque adhibere decrevimus, quam plures Praede-cessores Nostri iam pro aliorum Servorum Dei canonizatione nonnunquam adhibendam censuerunt.

Itaque rem totam SS. Rituum Congregationi expediendam com-misimus; ac proinde dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales eidem Sacrae Congregationi praepositi, in ordinario coetu die decima quinta mensis huius decembris habito, audita dilecti Filii Nostri Francisci Cardinalis Ehrle, Causae Ponentis, relatione; attenta Historicae Sectionis de vitae sanctitate B. Alberti et de cultus legitimitate eidem exhibiti inquisitione, ex officio peracta, nec non sententia, scripto data, pariter ex officio, a duobus doctis viris, in operibus eiusdem Beati apprime versatis, super eius doctrina; audito quoque Officialium eiusdem Sacrae Rituum Congregationis Praelatorum voto, momentis omnibus sedulo perpensis, matureque discussis, unanimi consensu quotquot frequentes aderant, Nobis consulendum pro gratia concedenda, censuerunt. Nos autem, die sequenti, idest hodie, de his omnibus relatione attente audita per dilectum Filium Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem Generalem, Nobis exhibita, in omnibus annuentes, Sacrae Congregationis votum libentissime excipiendum duximus. Suprema itaque Nostra Apostolica Auctoritate praecipimus, ut Sancti Alberti Magni festum cum Officio et Missa de Confessore Pontifice, addito Doctoris titulo, sub rito duplici minori, die eius natali, hoc est die decima quinta mensis Novembris in universa Ecclesia singulis annis celebretur.

Quamplurimae ergo benignissimo Deo gratiae agantur, qui, mirabili suae Providentiae consilio, per humilitatem Nostram coram militanti Ecclesia Alberti Magni gloriam perficere dignatus est, ipsum nostra potissimum aetate veluti *lucernam luminosam corpus totius Ecclesiae tamquam sidus matutinum sua fecunditate illustrantem*<sup>1</sup> ostendens, qui vere non soli sibi laboravit, *sed omnibus exquirentibus veritatem.*<sup>2</sup>

<sup>1</sup> *Anonym. Ord. Praed. saec. XIV.*

<sup>2</sup> *Eccli. XXIV, 47.*

Adsit igitur Sanctus Albertus Magnus adprecator, qui, sapientiam virtutemque a prima iuventute exquirens, iugum Domini libenter ferens, instar Pauli Apostoli nihil sanctius habuit quam in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi.<sup>1</sup>

Omnibus itaque, quae inspicienda erant, bene perpensis, certa scientia, Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula quae supra diximus confirmamus, roboramus, iterum statuimus ac praecipimus, universaeque Ecclesiae catholicae denunciamus; mandantes ut earundem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Nostris Litteris haberetur, si exhibitae vel ostensae forent. Si quis vero has Litteras Nostras declarationis, decreti, mandati et voluntatis, infringere vel ausu temerario contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo primo, die decima sexta mensis decembris, Pontificatus Nostri anno decimo.

## EGO PIUS, CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Fr. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH, CAMILLUS Card. LAURENTI,  
*Cancellarius S. R. E.* *S. R. C. Praefectus.*

VINCENTIUS BIANCHI-CAGLIESI, JOSEPH WILPERT,  
*Cancellariae Apostolicae Regens.* *Decanus Coll. Proton. Apost.*

ALPHONSUS CARINCI,  
*Protonotarius Apostolicus.*

Can. ALFRIDUS LIBERATI, *Canc. Apost. Adiutor a Studiis.*

GEORGIUS STARA TEDDE, *Canc. Apost. Adiutor a Studiis.*

LOCO ✠ Plumbi.

EXPEDITA

die trigesima mensis Decembris anno decimo.

ALFRIDUS MARINI, *Plumbator.*

*Reg. in Cancellaria Apostolica, vol. XLV n. 3. — M. RIGGI.*

DOMINICUS FRANCINI,  
*Scriptor Apostolicus.*

<sup>1</sup> II Corinth. X, 5.